



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs

In quo hæreses & mores Pelagij contra naturæ humanæ sanitatem,
ægritudinem & medicinam ex S. Augustino recensentur ac refutantur

Jansenius, Cornelius

Lovanii, 1640

Censvra.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13650

CENSURA.

Quam in hoc suo AVGVSTINO Perillustri ac Reuerendissimo Dominus CORNELIVS IANSENYVS, Episcopus Iprensis tradit doctrina, videtur mihi esse non terrena, sed caelestis; non tam sapientiae humanae verbis aut rationibus, quam diuinis auctoritatibus firmata; non Aristotelica, sed Apostolica; non de nouitate suspecta, sed ab antiquitate commendata: ab ipso Theologorum omnium Magistro S. Augustino, Spiritu Dei reuelante, pridem tradita & publicata; multorum Conciliorum sanctionibus definita, ab ipsa Sede Apostolica, totaque Ecclesia recepta & approbata: à multis sanctis Patribus praedicata & propugnata; septem sanctissimorum pariterque doctissimorum Urbis & Orbis Pontificum Ecclesiastico & infallibili iudicio confirmata; à praestantissimis Episcopis laudata, tanquam orthodoxa, caelestis, Apostolica, Evangelica, delectatissima, saluberrima, & indubitata; tanquam à Magistro optimo, & summo in Ecclesia viro, quem nunquam aliqui sinistrae opinionis rumor (vt loquitur Celestinus Papa) aspersit, profecta: ad quam etiam ipsi Pontifices dubios & in fide fluctuantes miserunt, ut ex ea discerent quid Romana, hoc est Catholica, sequatur & esse ueret Ecclesia inquit Hormisdas: quam secundum praedecessorum suorum statum Romanam Ecclesiam sequi, & probare Ioannes II. profiteatur: quam qui impugnant & uana obicere, & recta impugnare, & priuam defendere, & diuina atque humanae constitutioni rebellare asserit Prosper: cui cum adhaeret, securum se exiimat Bernardus. Et uere sicut in SS. Trinitatis mysterio nemo errabit sequendo Athanasium, sic nec in altissimis gratiae mysterijs sequendo Augustinum: cui non solum Romanam & Africanam Ecclesiam, sed per omnes mundi partes uincit per promissionis filios, sicut in tota fide, ita in gratiae confessione congruere, idem testatur Prosper. Et hic quidem Augustinus, tanquam alter Abraham, primus fodit puteos, è quibus purissima gratiae Dei aqua, in salubrem pastorum oviumque potum educta sunt. Sed inuidi Palaestini, id est, Pelagiani (qui in Palaestina primò exorti, & damnati sunt) eosdem uarijs calumniarum & errorum faucibus iniectis opplere conati sunt; adeo ut & hostes, & aliqui etiam filij Ecclesiae, non potuerint amplius haurire aquam puram, sed turbidam & lutulentam. Rem proinde necessariam & Ecclesiae utilissimam mihi fecisse uidetur Eruditis hinc auctor, qui, tanquam alter Isaac, obstructos illos puteos ab ingestis ruderibus expurgauit, & iterum latitudinem, abundantiam, & aquam uivam inuenit; puram scilicet & delectatam Sancti Augustini doctrinam. Hanc autem & clarissimè & fidelissimè representauit, omniaque de singula, quae sanctissimus Doctor in uarijs libris de statu naturae integrae, lapsa, nuda, reparata; de peccato originali, eiusque effectibus; de natura, efficacia, & necessitate gratiae Saluatoris nostri Dei, aliisque altissimis fidei nostrae mysterijs docuit, & pro occasione alibi latenter, alibi patenter sparsit, magno studio & indefesso 22. annorum labore, insigni ordine & methodo in hos tres Tomos redegit, tantoque argumentorum & diuinarum rationum densitate stipatam exhibuit, ut quemvis Lectorem, ueritatis amicum, passionibus non praeventum ponderare ipso quasi opprimere, & dulci quadam uolentia in suam sententiam trahere uideatur, itaque cum hic non exhibeatur doctrina aliqua noua, ex humano cerebro, aut placitis Philosophorum (quos merito Tertullianus Patriarchas haeticorum uocat) confecta, sed à Principe Theologorum omnium Sancto Augustino pridem tradita, & à sancta Catholica Romana Ecclesia (quae columna est ueritatis) approbata; existimo non solum expedire ut ea atramento uoluminibus chartaceis exprimat, sed tabulis quoque cordis carnalibus imprimatur, totoque orbe Christiano publicetur. Verum sicut Auctor totam suam doctrinam, ita & ego hanc censuram sanctae Sedis Apostolicae iudicio humillimè submitto. Hac S. Thomae Aquinatis, Anni 1638.

HENRICVS CALENS S. Theol. Licent. Metropolitana Ecclesia
Mechliniensis Canonicus, Archiepisc. Bruxell. Librorum Censor.

CENSURA

Hoc opere, per Reuerendissimum D. CORNELIVM IANSENYM Episcopum Iprensis, de haeresi Pelagiana, de statu naturae innocentis, lapsa, pura, reparata, singulari miraque eruditione concinnato, arcanissima diuinae providentiae circa creaturam rationalem dispositio panditur, liberi que arbitrij natura & gratiae uires explicantur, ubique conformiter ad Diuini Augustini doctrinam: cuius principijs Auctor sic inhaeret, ut non tam solum quam ipsius Augustini sensum exprimat & explanet. Quamobrem opus hoc prae lo ac publicae luce dignissimum censeo, fructulque eximios solidarum uirtutum Orbi Christiano allaturum confido. Datum Lovanii 13. Kal. Iulij M. DC. XXXX.

IACOBVS PONTANVS S. Th. Doctor, Pontificus ac Regius
Librorum Censor.